



399

pertransire possit. Quod ego fabulosum reputavi, omnes enim pertransivimus; an autem omnes in gratia fuerimus, Deus scit.

**De loco, in quo XII articuli fidei sunt per Apostolos compositi.**

Egressi de specu sanctae Pelagiae consequenter descendimus montem et viam, quae ducit Bethphage et Bethaniam, praetergressi per maceriam in quendam hortum scandimus, et ad ruinas cujusdam ecclesiae magnae venimus, quae dicitur ecclesia S. Marci Evangelistae. In hac ecclesia fuerunt olim indulgentiae, et hodie sunt, quas dictis orationibus recepimus. (†) Haec ecclesia dicitur stare in eo loco, ubi sancti Apostoli confecerunt symbolum fidei nostrae. Ibi enim XII singulariter convenerunt, ut extra tumultum hominum essent, et Deo inspirante articulos composuerunt, quibus compositis in montem Syon transierunt, et congregato sacro et universali et primo concilio articulos editos et symbolum concilio obtulerunt, examinaverunt, et ecclesiae tradiderunt per mundum divulgandos. Ut patet supra fol. 106 A. In illo ergo loco eandem fidem de novo professi symbolum diximus.

**De loco, ubi Dominus orationem dominicam docuit discipulos orare.**

Hortum praefatae ecclesiae egressi ad viam, quae per praeceps ducit, in vallem venimus, et paululum descendimus in locum, ubi etiam deprehendimus, stetisse oratorium sive ecclesiam, et dicebatur illa ecclesia domus panis. Ibi ergo dictis orationibus signatis indulgentias recepimus (†). Haec ecclesia dicitur esse aedificata in eo loco, de quo habetur Lucae XI. Dum esset Jesus in quodam loco orans, et finita oratione dixit unus ex discipulis ad eum: Domine, doce nos orare. Et ibi docuit eos orationem dominicam, Deo acceptissimam, brevem et utilissimam. Hanc orationem prius in monte alio, in Galilaeae provincia, praedicaverat in prolixo

414

412

418

408

423

403

463

363

313

Ende

Anfang